

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvllii Ciceronis De Finibvs Bonorvm Et Malorvm Librvm V.
Commentarius Aldi Mannuccij

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)



IN
M . TVLLII . CICERONIS
DE . FINIBVS
BONORVM . ET . MALORVM
LIBRVM . V.

Commentarius Aldi Mannuccij .



CICERO



VM audiuissem Antiochum , Brute , ut solebat , cum M. Pisonem disputantem in eo gymnasio , quod Ptolemaeum uocatur ; unaque nobiscum Q. frater , & T. Pomponius , & L. Cicero , frater noster cognatione patruelis , amore germanus ; constituimus inter nos , ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academia , maxime quod is locus ab omni turba id temporis uacuus esset . itaque ad tempus , ad Pisonem omnes inde uario sermone , sex illa a Diplylo studia confecimus . cum autem uenisset in Academiam , non sine causa nobilitata spatia ; solitudo erat ea , quam uoluimus . Tum Piso , Natura nobis hoc , inquit , datum dicam , an errore quodam , ut cum ea loca uideamus , in quibus memoria dignos uiros acceperimus multum esse uersatos , magis moueamur , quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus , aut scriptum aliquid legamus ? uelut ego nunc moueor . uenit enim mihi Platonis in mentem : quem accepimus primum hic disputare solitum : cuius etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi afferunt , sed ip-

sum uidentur in conspectu meo hic ponere . hic Speusippus , hic Xenocrates , hic eius auditor Polemo : cuius ipsa illa sessio fuit , quam uidemus . equidem etiam curiam nostram , Hosiariam dico , non hanc nouam , quae mihi minor esse uidetur , postea quam est maior , solebam , intuens , Scipionem , Catonem , Laelium , nostrum uero in primis auum cogitare . tanta uis admonitionis inest in locis : ut non sine causa ex his memoriae ducta sit disciplina . Tum Quintus , Est plane , Piso , ut dicis , inquit , nam me ipsum , huc modo uenientem , conuertebat ad sese Coloneus ille locus , cuius incola Sophocles ob oculos uersabatur : quem , scis , quam admirer , quamque eo delecter . me quidem ad altiorum memoriam Oedipodis huc uenientis , & illo mollissimo carmine , quaeenam essent ipsa haec loca , requirentis , species quaedam commouit , inanis scilicet , sed commouit tamen . Tum Pomponius : At ego , quem uos , ut deditum Epicuro , insectari soletis , sum multum equidem cum Phaedro , quem unice diligo , ut scitis , in Epicuri hortis , quos modo praeteribamus : sed , ueteris prouerbij admonitu , uinorum memini . nectamen Epicuri licet obliuisci , si cupiam ; cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares , sed etiam in poculis , & in anellis habent .

EXPLANATIO



PTOLEMAEIVM } locus est Athenarum , ut refert Pausanias , a Ptolemaeo conditum sic dictum . **ET L. Cicero** } cuius mortem uide ad Att. lib. I. epist. 4 . **SEX illa a Diplylo studia** } Dipylum porta Atheniensis . **COLONEVS ille locus** } locus erat in litore , Neptuno equestri , & Mineruae sacer , auctore Pausania . **Sophocles** , eo secessu delectatus , in eo tragicodiam fecit , quam Oedipum Coloneum appellauit . **ET in anulis** } Anellis , legit Nonius .

CICERO

CICERO

Hic ego, Pomponius quidem, inquam, noster iocari uidetur: & fortasse suo iure. ita enim Athenis se collocauit, ut sit paene unus ex Atticis, ut id etiã cognomine uideatur habiturus. ego autem tibi, Piso, assentior, usu hoc euenire, ut acris aliquãto, et attẽrius declaris uiris, locorũ admoniti, cogitemus. scis. n. me quodã tempore Metapontũ nemisse tecũ, nec ad hospitẽ ante diuerrisse, quã Pythagorae ipsum illum locũ, ubi uisã ediderat, sedemq. uiderim. hoc autẽ tẽpore, et si multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum uirorum: tamen ego illa moueor exedra: modo enim fuit Carneades: quem uidere uideor: est enim nota imago: a sede q. ipsa, tanta ingenij magnitudi ne orbata, desiderari illam uocẽ puto. Tum Piso, Quomiam igitur aliquid omnes, quid Lucius nosler, inquit? an eum locum libenter inuissit, ubi Demosthenes, & Aeschines inter se decretare soliti sunt? suo enim quisque studio maxime ducitur. Et ille, cum erubisset, Noli, inquit, ex me quaerere, qui in Phalericum etiam descendere: quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret uoce uincere. modo etiam paululum ad dextram de uia declinaui, ut ad Periclis sepulcrum accederem. quamquã ad quidem infinitum est in hac urbe. quacumque enim ingredimur, in aliquam historiam uestigium ponimus. Tum Piso, Atqui, Cicero, inquit, ista studia, si ad imitandos summos uiros spectant, ingeniosorum sunt; sint tantummodo ad indicia ueteris memoriae cognoscenda, curiosorum. te autem hortamur omnes, currentem qui dẽ, inquit, ut eos, quos nouisse uis, etiã imitari uelis.

Hic ego, Et si facit hic quidem, inquam, Piso, ut uides, ea, quae praecipis: tamen mihi grata est hortatio tua. Tum ille amicissime, ut solebat, Nos nero, inquit, omnes omnia ad huius adolescentiam conferamus, in primis q. ut aliquid suorum studiorum philosophiae quoque impertiam; uel ut te imitetur, quem amat; uel ut illud ipsum, quod studet, facere possit ornatus. sed, Virũ hortandus es nobis, Luci, inquit, an etiam tua spõte propensus es mihi quidem Antiochum, quem audis, satis uelle uideris attendere. Tum ille, Timide, uel potius ue

recunde, facio, inquit, equidem: sed audisti ne modo de Carneade & rapior illuc: reuocat autem Antiochus, nec est praeterea, quem audiamus. Tum Piso, Etsi hoc, inquit, fortasse non poterit sic abire, cum hic adsit: (me autem dicebat) tamen audebo te ab hac Academia noua ad ueterem illam uocare. in qua, ut dicere Antiochum audiebas, non ij soli numerantur, qui Academici uocantur, Speusippus, Zenocrates, Polemo, Crãtor, ceterique, sed etiam Peripatetici ueteres, quorũ princeps Aristoteles, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. ad eos igitur conuerte te, quaeso. ex eorum enim scriptis, & institutis cum omnis historia, omnis doctrina liberalis, omnis sermo elegans sumi potest: tum uarietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. ab his oratores, ab his imperatores, ac rerump. principes exstiterunt. ut ad minora ueniam, mathematici, poetae, musici, medici denique ex hac, tamquam ex omnium artium officina, profecti sunt. Ad quae ego, Scis me, inquam, istud idem sentire, Piso: sed a te opportune mentio facta est. studet enim meus audire Cicero, quae nam sit istius ueteris, quam commemoras, Academiae de finibus honorum, Peripateticorumq. sententia. censem autem te facillime id explanare posse, quod & Staseam Neapolitanum multos annos habueris apud te, & complures iam menses Athenis haec ipsa te ex Antiocho uidemus exquirere. Et ille ridẽs, Age, age, inquit, (satis enim scite me nostri sermonis principium esse noluisse) exponamus adolescenti, si qua forte possumus. dat enim id nobis solitudo, quod si quis deus diceret, numquam putarem; me in Academia, tamquam philosophum, disputaturum. sed, ne, dum huic obsequor, uobis molestus sim. Mihi, inquam, qui te id ipsum rogauis? Tum Quintus, & Pomponius cum idem se uelle dixissent, Piso exorsus est. cuius oratio, attende quaeso Brute, satis ne uideatur Antiochi complexa esse sententiam, quam tibi, qui fratrem eius Aristum frequenter audieris, maxime probatam existimo. sic est igitur locutus.

EXPLANATIO

METAPONTVM 3 in Italia, in ea parte quae Calabria dicitur, olim regio illa dicta Magna Graecia. **F**UIT Carneades: 3 Carneadis, fortasse rectius. Hic uixit diutissime. nam, cum Romam uenisset uino Catone censorio legatus Atheniensium cum Diogene, & Critolao, aetatem produxit ad Antonii oratoris tempora. lib. 1. de orat. **N**ON poterit sic abire, 3 Ad Att. lib. xj v. Non posse istaec sic abire. **E**t in Catil. Et Terent. in Andr. Mirabar, hoc si sic abiret.

CICERO

QUANTVS ornatus in Peripateticorum disciplina sit, satis est a me, ut breuissime potui, paullo ante dictum: sed est forma eius disciplinae, sicut fere ceterarum, triplex. una pars est, natura; differendi, altera; uiuendi, tertia. Natura sic ab ijs inuestigata est, ut nulla

pars caelo, mari, terra (ut poetice loquar) praetermissa sit. quin etiam, cum de rerum initijs, omniq. mundo locuti essent, ut multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione concluderent; maximam materiam ex rebus per se inuestigatis

gatis ad rerum occultarum cognitionem attulerunt. persecutus est Aristoteles animantium omnium ortus, uictus, figuras; Theophrastus autem stirpium naturas, omniumque fere rerum, quae e terra gignerentur, causas, atque rationes, quae ex cognitione facilius facta est inuestigatio rerum occultissimarum. differēdiq. ab iisdem non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta; ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, & tamen ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte dici posset, expromeret. Cum autem tertia pars bene uiuendi praecepta quaeret, ea quoque est ab iisdem non solum ad priuatae uitae rationem, sed etiam ad rerum publicarum rectitudinem relata, omnium fere ciuitatum non Graeciae solum, sed etiam barbariae ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, a Theophrasto leges etiam cognouimus, cumque uterque eorum docuisset, qualem in rep. principem esse conueniret; pluribus praeterea cum scripisset, qui esset optimus reip. status: hoc amplius Theophrastus, quae essent in rep. inclina-

tiones rerum, & momenta temporum, quibus esset moderandum, utcumque res postularēt. Vitae autem degredae ratio maxime quidem illis placuit quietae, in contemplatione, & cognitione posita rerum: quae quia deorum erat uitae simillima, sapiente uisa est dignissima. Atque his de rebus & splendida est eorum, & illustris oratio. De summo autem bono, quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant; alterum limatius, quod in commentarijs reliquerunt, non semper idem dicere uidentur. nec in summa tamen ipsa aut uarietas est ulla, apud hos quidem, quos nominauimus; aut inter ipsos dissensio: sed, cum beata uita quaeratur; id sit unum, quod philosophia spectare, & sequi debeat; sit ne ea tota sita in potestate sapientis, an possit aut labefactari, aut eripi rebus aduersis, in eo non numquam uariari inter eos, & dubitari uidentur, quod maxime efficit Theophrasti de beata uita liber: in quo multum admodum fortunae datur. quod si ita se habeat; non possit beatam praeficere uitam sapientiae.

EXPLANATIO

OMNIUM fere ciuitatum ꝛ Hic Aristotelis liber hodie non exstat: sed ex eo uerba quaedam recitat Athenaeus de repub. Naxiorum. Εξωτερικὸν ꝛ extremum. Videntur libri fuisse rationibus conscripti probabilibus, non quae necessario concluderent. Simpl. in Phys. & in Metaphys. RELIQUERUNT; ꝛ nam ἐξωτερικοί λόγοι, quia minus limati, ab ijs prope neglecti, nominantur autem lib. I. Eth. ad Nicom. prope finem: ibidem lib. VI. cap. 4. ibidem ubi loquitur de ideis lib. I. & lib. II. initio. & lib. II. Pol. Et lib. I. V. Phys. cap. 10. Et in Metaphys. Et in Moralibus ad Eudemum. Non semper ꝛ non idem ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς, καὶ ἐν τοῖς ἀκροαματικῶν: cum tamen uterque sibi constet.

CICERO

HAEC mihi uidetur delicatior, ut ita dicam, molliorque ratio, quam uirtutis uis, grauitasque postulat, quare teneamus Aristotelem, & eius filium Nicomachum: cuius accuratè scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristotelis; sed non uideo, cur non potuerit patri similis esse filius. Theophrastum tamen adhibeamus ad pleraque; dum modo plus in uirtute teneamus, quam ille tenuit, firmitatis, & roboris. simus igitur contenti his. namque horum posteriores meliores illi quidem, mea sententia, quam reliquarum philosophi disciplinarum, sed ita degenerant, ut ipsi ex se nati esse uideantur. Primum Theophrasti Strato physicum se uoluit. in quo et si est magnus; tamen noua pleraque, & per pauca de moribus. Huius Lysias & oratione locuples, rebus ipsis ieiunior, concinnus deinde, & elegans huius Aristoteli: sed ea, quae desideratur a magno philosopho, grauitas in eo non fuit, scripta sane & multa, & polita: sed nescio quo pacto auctoritatem oratio non habet. praeterea multos, in his, doctum hominem, & suauem, Hieronymum: quem iam cur Peripateticum appellem, nescio. summum enim bonum exposuit, uacuitatem doloris, qui autem de summo bono dissentit, de tota philosophiae ratione dissentit. Critolaus imitari antiquos uoluit: & quidem est grauitate proximus: & redundat oratio: attamen is quidem in patrijs institutis manet. Diodorus, eius auditor, adiungit ad honestatem

uacuitatem doloris, hic quoque suus est; de summoque bono dissentiens, dici uere Peripateticum non potest. Antiquorum autem sententiam Antiochus noster mihi uidetur persequi diligentissime; quam eandem Aristotelis fuisse, & Polemonis, docet. Facit igitur Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum uelit. hoc enim constituto in philosophia, constituta sunt omnia, nam ceteris in rebus siue praetermissum, siue ignoratum est quippiam, non plus incommodi est, quam quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid: summum autem bonum si ignoretur, uiuendi rationem ignorari necesse est. ex quo tantus error consequitur, ut, quem in portum se recipiant, scire non possint, cognitae autem rerum finibus, cum intelligitur quid sit & bonorum extremum, & malorum, inuenta uitae uia est, conformatioque omnium officiorum, est igitur, quo quidque referatur, ex quo id, quod omnes expetunt, beate uiuendi ratio inueniri, & comparari potest, quod, quoniam, in quo sit, magna dissensio est; Carneadea nobis adhibenda diuisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur uidit, non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiae, negabat igitur ullam esse artem, quae ipsa a se proficeretur. etenim semper illud extra est, quod arte comprehenditur, nihil opus est exemplis hoc facere longius. est enim perspicuum, nullam

nullam artem in se uersari, sed esse aliud artem ipsam, aliud quod propositum sit arti. quoniam, ut medicina ualeitudinis, navigationis gubernatio, sic uiuendi ars est prudentia: necesse est quoque eam ab alia re esse constitutam, & profectam.

EXPLANATIO

LYSIAS & oratione locuples, § Liber Tertij, Ex oratione. malim sine copula, hoc modo: Lyfias oratione locuples, rebus ipsis ieiunior. Haec Paullus pater. **ARISTO** § Aristones duo nomiuantur a Laertio, Peripateticus uterque.

CICERO

CONSTITIT autem fere inter omnes, id, in quo prudentia uersaretur, & quod asequi uellet, aptū, & accommodatum naturae esse oportere, & tale, ut ipsum per se inuaret, & alliceret appetitum animi: quē Graeci uocant. quid autem sit, quod ita moneat, itaq. a natura in primo ortu appetatur, non constat, de quo est inter philosophos, cum summum bonum exquiratur, omnis dissenfio. totius enim quaestionis eius, quae habetur de finibus bonorum, & malorum, cum quaeritur in his quid sit extremum, & ultimum, fons reperiendus est, in quo sint prima inuitamenta naturae. quo inuento, omnis ab eo, quasi capite, de summo bono, & malo disputatio ducitur. Voluptatis alij primum appetitum putant; & primam depulsionem, doloris. alij censent primum adscitum, doloris uacuitatem; & primum declinatam, dolorem. ab his alij, quae prima secundum naturam nominant, proficiuntur: in quibus numerant incoluitatem, conseruationemq. omnium partium, ualeitudinem, sensus integros, doloris uacuitatem, uires, pulchritudinem, ceteraq. generis eiusdem: quorum similia sunt prima in animis, quasi uirtutum igniculi, & semina. Ex his tribus cum unum aliquod sit, quo primum natura moueatur uel ad appetendum, uel ad repellendum; nec quidquam omnino praeter haec tria possit esse: necesse est omnino, officium aut fugiendi, aut sequendi ad eorum aliquid referri, ut illa prudentia, qua artem uitae esse diximus, in earum trium rerum ali-

qua uersetur, a qua totius uitae ducat exordium. Ex eo autem quod statuerit esse, quo primum natura moueatur, existet etiam recti ratio, atque honesti, quae eū uno aliquo ex tribus illis congruere possit: ut aut id honestum sit, facere omnia aut uoluptatis causa, etiam si eam non consequare; aut non dolendi, etiam si id assequi nequeas; aut eorum, quae secundum naturam sunt, adipiscendi. ita sit, ut, quanta differentia est in principijs naturalibus, tant a sit in finibus bonorū, malorumq. dissimilitudo. Alij rursus iisdem a principijs omne officium referunt aut ad uoluptatem, aut ad non dolendum, aut ad prima illa secundum naturam obimenda. Expositis iam igitur sex de summo bono sententijs, trium proximarum hi principes; uoluptatis, Aristippus; non dolendi, Hieronymus; fruendi rebus ijs, quas primas secundum naturam esse diximus, Carneades; non ille qui dem auctor, sed defensor, disserendi causa, fuit. Superiores tres erant, quae esse possent: quarum est una sola defensa, eaq. uehementer. Nam, uoluptatis causa facere omnia; cum, etiam si nihil consequamur, tamen ipsum illud consilium ita faciendi per se expetendum, & honestum, & solum bonum sit; nemo dicit. Ne uitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putauit, ne si etiam euitare posset. At uero, facere omnia, ut adipiscamur quae secundum naturam sint, etiam si ea non assequamur, id esse & honestum, & solum per se expetendum, & solum bonum Stoici dicit.

EXPLANATIO

ALII censent primum adscitum, doloris uacuitatem; § Doloris uacuitatem, e suo libro quidam induxerunt: & asterisci uotam, quae corruptum locum significaret, e regione apposuerunt. nos ea uerba conseruamus; quod & sententiam sane bonam efficiunt; neque in antiquis Maffei, Sigonii, Tertii libris desiderantur: ut omittam, quod libros superioris nostrae editionis tamen credendum est ad propositum aliquod scriptum exemplar fuisse impressos. Haec Paullus pater. **U**T aut id honestum sit, § sententia non recipit Aut. Haec Paullus pater.

CICERO

SEx igitur hae sunt simplices de summo bonorum, malorumq. sententiae, duae sine patrono, quattuor defensae. Iunctae autem, & duplices expositiones summi boni, tres omnino fuerunt: nec uero plures, si penitus rerum naturam uideas, esse potuerunt. nam aut uoluptas adiungi potest ad honestatem, ut Calliponi, Diomachioq. placuit; aut doloris uacuitas, ut Diodoro;

aut prima naturae, ut antiquis, quos eosdem Academicos, & Peripateticos nominamus. sed quoniam non possunt omnia simul dici; haec in praesentia nota esse debent, uoluptatem se mouendam esse: quando ad maiora quaedam, ut iam apparebit, nati sumus. De uacuitate doloris eadē fere dici solent, quae de uoluptate. Quoniam igitur & de uoluptate cum Torquato, & de honestate,

State, in qua una omne bonum poneretur, cum Catone est disputatum: primum, quae contra uoluptatem dicta sunt, eadem fere cadunt contra uacuitatem doloris. Nec uero alia sunt quaerenda contra Carneadeam illam sententiam, quocumque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id uacet honestate, nec officia, nec uirtutes in ea ratione, nec amicitiae constare possunt. coniunctio autem cum honestate uel uoluptatis, uel non dolendi, id ipsum honestum, quod amplecti uult, efficitur. ad eas enim res referre, quae agas, quarum una, si quis malo careat, in summo eum bono dicat esse, altera ueretur in leuissima parte naturae; obseruantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. Restant Stoici: qui cum a Peripateticis, & Academicis omnia transtulissent, nominibus alijs easdem res secuti sunt. hos contra singulos dici est melius, sed nunc, quod agimus: de illis, cum uolemus. Democriti autem securitas, quae est animi tamquam tranquillitas, quam appellant *ἡσυχία*, eo separanda fuit ab hac disputatione:

quia ista animi tranquillitas ea ipsa est beata uita, quae rimus autem, non quae sit, sed unde sit. Iam, explosae, eiectioneque sententiae Pyrrhonis, Aristonis, Herilli, quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt, adhibendae omnino non fuerunt. nam, cum omnis haec quaestio de finibus, & quasi de extremis bonorum, et malorum ab eo proficiscatur, quod diximus naturae esse aptum, & accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur: hoc totum & ij tollunt, qui in rebus ijs, in quibus nihil, quod non aut honestum, aut turpe sit, negant esse ullam causam, cur aliud alij antepnatur; nec inter eas res quidquam omnino iudicant inter esse: & Herillus, si ita sensit, nihil esse bonum praeter scientiam, omnem consilij capiendi causam, inuentionemque officij sustulit. Sic, exclusis sententijs reliquorum, cum praeterea nulla esse possit, haec antiquorum ualeat necesse est, ergo instituto ueterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium.

EXPLANATIO

Hos contra singulos? Hos, non Stoicos modo, sed omnes pariter supra nominatos. Hoc totum & ij? Pyrrho, & Aristo.

CICERO

OMNE animal se ipsum diligit; & simul ac ortum est, id agit, ut se conseruet; quod hic ei primum ad omnem uitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conseruet, atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. hanc initio constitutionem confusam habet, & incertam, ut tantummodo se tueatur, qualecumque sit; sed nec, quid sit, nec, quid possit, nec, quid ipsius natura sit, intelligit. cum autem processit paululum, & quatenus quidquid se attingat, ad seque pertineat, perspicere coepit; tum sensim incipit progredi, se sequi agnoscere, & intelligere. quam ob causam habet eum, quem diximus, animi appetitum; coepitque & ea, quae naturae apta sentit, appetere, & propulsare contraria. Ergo omni animali illud, quod appetit, positum est in eo, quod naturae est accommodatum. ita finis bonorum exsistit, secundum naturam uiuere, sic affectum, ut optime affici possit, ad naturamque accommodatissime. quoniam autem sua cuiusque animantis natura est; necesse est quoque finem omnium hunc esse, ut natura expleatur. nihil enim prohibet, quaedam esse & inter se animalibus reliquis, & cum bestijs homini communia; quoniam omnium est natura communis. Sed extrema illa, & summa, quae quaerimus, inter animalium genera distincta, & dispersita sunt, & sua cuique propria, & ad id apta, quod cuiusque natura desiderat. quare cum dicimus, omnibus animalibus extremum esse, secundum naturam uiuere: non ita accipiendum

est, quasi dicamus, unum esse omnium extremum: sed, ut omnium artium recte dici potest commune esse, ut in aliqua scientia uer sentur, scientiam autem suam cuiusque artis esse; sic commune animalium omnium, secundum naturam uiuere, sed naturas esse diuersas, ut aliud equo sit natura, aliud boui, aliud homini, & tamen in omnibus summa communis, & quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus ijs, quae natura alit, auget, & tuetur: in quibus uidemus, ea, quae gignuntur et terraz multa quodam modo efficere ipsa sibi per se, quae ad uiuendum, crescedumque ualeant, & suo genere perueniant ad extremum. ut iam liceat una comprehensione omnia complecti; non dubitemque dicere, omnem naturam esse conseruatricem suis; idque habere propositum quasi finem, & extremum, se ut custodiat in quamoptimo sui generis statu. ut necesse sit, omnium rerum, quae natura uigeant, similem esse finem, non eundem. ex quo intelligi debet, homini id esse in bonis ultimum, secundum naturam uiuere: quod ita interpretemur, uiuere ex hominis natura undique perfecta, & nihil requirente. Haec igitur nobis explicanda sunt: sed, si enodatius, uos ignoscetis. huius enim aetati, & huic, nunc haec primum fortasse audient, seruire debemus. Ita prorsus, inquam: etsi ea quidem, quae adhuc dixisti, quamuis ad aetatem recte isto modo dicerentur.

CICERO

EXPOSITA igitur, inquit, terminatione rerum expetendarum; cur ista se res ita habeat, ut dixi, de

inceps demonstrandum est. quomobrem ordiamur ab eo, quod primum posui, quod idem reapse primum est: ut in-

ut intelligamus omnia animalia se ipsum diligere. quod quamquam dubitationem non habet: (est enim insitum in ipsa natura, comprehenditur suis cuiusque sensibus, sic, ut, contra si quis dicere uelit, non audiat) tamen, ne quid praetermittamus, rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. etsi qui potest intelligi, aut cognari, esse aliquod animal, quod se oderit? res enim concurrent contrariae. nam cum appetitus ille animi aliquid ad se trahere coeperit consulto, quod sibi obstat, quia sit sibi inimicus: cum id sua causa faciat, & oderit se, & simul diligit. quod fieri non potest. necesse est quidem, si quis sibi ipsi inimicus est, eum, quae bona sunt, mala putare; bona contra, quae mala; & quae appetenda, fugere; & quae fugienda, appetere. quae si ne dubio uitae sunt euerfos. neque enim, si non nulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quaerant; aut, ut ille apud Terentium, qui decreuit tantisper se minus iniuriae suo gnato facere, (ut ait ipse) dum fiat miser; inimicus ipse sibi putandus est. sed alij dolore mouentur, alij cupiditate: iracundia etiam multi efferruntur: & cum in mala scientes ruunt, tamen se optime sibi consulere arbitrantur: itaque dicunt, nec dubitant, sibi sic est usus: tibi ut opus est factio, face.

uelut, qui ipsi sibi bellum indixissent, cruciari dies, non esse torqueri uellent: nec uero sese ipsi accusarent ob eam causam, quod sese male rebus suis consuluisse dicerent. eorum enim est haec querella, qui sibi cari sunt, sese diligunt. Quare, quotiescumque dicitur male de se quis mereri, sibi, esse inimicus, atque hostis, uitam denique fugere; intelligatur aliquam subesse eiusmodi causam, ut ex eo ipso possit intelligi, sibi quemque esse carum. nec uero id satis est, neminem esse, qui ipse se oderit: sed illud quoque intelligendum est, neminem esse, qui, quomodo se habeat, nihil sua censeat interesse. tolletur enim appetitus animi, si, ut in ijs rebus, inter quas nihil interest, neutram in partem propensiores simus, nihil nostra arbitramur interesse. Atque etiam illud, si quis dicere uelit, per absurdum sit, ita diligi a sese quemquam, ut ea uis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, non ad eum ipsum, qui sese diligit, hoc cum in amicitijs, cum in officijs, cum in uirtutibus dicitur; quomodo cumque dicitur, intelligi tamen, quid dicatur, potest; in nobis autem ipsis ne intelligi quidem, ut propter aliam quampiam rem, uerbi gratia propter uoluptatem, nos amemus. propter nos enim illam, non propter eam nosmet ipsos, diligimus.

EXPLANATIO

Vt ille apud Terentium, & Menedemus, in Heautontimorumenno.

CICERO

QUAMQUAM quid est, quod magis perspicuum sit, quam non modo carum sibi quemque, uerum etiam uehementer carum esse quis est enim, aut quotus quisque, cui, mors cum appropinquet, non refugiat timido sanguine, atque exalbescat metu? etsi hoc quidem est in uitio, dissolutionem naturae tam ualde perhorrescere. quod item est reprehendendum in dolore, sed quia fere sic afficiuntur omnes, satis argumenti est, ab interitu naturam abhorre. idque magis quidam ita faciunt, ut iure etiam reprehendantur: hoc magis intelligendum est, haec ipsa nimia in quibusdam futura non fuisse, nisi quaedam essent modica natura. nec uero dico eorum metum mortis, qui quia priuari se uitae bonis arbitrentur, aut quia quasdam post mortem formidines extimescant, aut si metuant ne cum dolore moriantur, iccirco mortem fugiant. in paruis enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando his ludentes minamur praecipitatos alicunde, extimescunt. quin etiam ferae, inquit Pacuuius, Quibus abest ad praecauendum intelligendi astutia, sibi iniecto terrore mortis horrescunt. Quis autem de ipso sapiente aliter existimat? qui, etiam cum decreuerit esse moriendum, tamen discessu a suis, atque ipsa relinquenda luce moueatur. Maxime autem in hoc qui dem genere uis est perspicua naturae, cum & mendicitatem multi perpetiantur, ut uiuant; & angantur ap-

propinquatione mortis confecti homines senectute; & ea perferant, quae Philoctetam uidemus in fabulis: qui cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen uitam aucupio sagittarum; Consigebant tardus celeres, stans uolantes, ut apud Attium est, pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat. De hominum genere, aut omnino de animalium loquor, cum arborum, & stirpium eadem paene natura sit? siue, ut doctissimis uiris uisum est, maior aliqua causa, atque diuinius hanc uim ingenuit: siue hoc ita sit fortuito, uidemus ea, quae terra gignit, corticibus, & radicibus ualida seruari: quod contingit animalibus sensuum distributione, & quadam compositione membrorum, qua quidem de re, quamquam assentior ijs, qui haec omnia regi natura putant; quae si natura negligat, ipsa esse non possint: tamen concedo, ut, qui de hoc dissentiant, existiment quod uelint, ac uel hoc intelligant, si quando naturam hominis dicam, hominem dicere me. nihil enim hoc differt. nam prius poterit a se quisque discedere, quam appetitum earum rerum, quae sibi conducant, amittere. Iure igitur grauissimi philosophi initium summi boni a natura petiuerunt, & illum appetitum rerum ad naturam accommodatarum ingeneratum putauerunt omnibus, qui continentur ea commendatione naturae, qua se ipsi diligunt.

EXPLANATIO

NON refugiat timido sanguem, § de Orat. lib. I. I. & Nonius, & Priscianus lib. VI. PINNARVMQ. con-
textu § ep. 33. lib. VII. Fam. VIDEAMVS ea, § Videmus, legendum puto.

CICERO

DEINCEPS uidentum est, quoniam satis apertum est, sibi quemque natura esse carum, quae sit hominis natura. id est enim, de quo quaerimus. Atqui perspicuum est, hominem e corpore, animoq. constare, cum primae sint animi partes, secundae corporis. deinde id quoque uidemus, & ita figuratum corpus, ut excellat alijs; animumq. ita constitutum, ut & sensibus instruetus sit, & habeat praestantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis quaedam uis rationis, & cognitionis, & scientiae; uirtutumq. omnium, nam, quae corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam, & cognitionem habent faciliorem: itaque ab his ordiamur. Corporis igitur nostri partes, totaq. figura, & forma, & statura quae apta ad naturam sit, apparet: neque est dubium, quin frons, oculi, aures, & reliquae partes, quales propriae sunt hominis, intelligatur. sed certe opus est ea ualere, & uigere, & naturales motus, ususq. habere; ut nec ab sit quid eorum, nec aegrum debilitatum ne sit. id enim natura desiderat. Est etiam actio quaedam corporis, quae motus, & status naturae congruentes tenet: in quibus si peccetur distortionem, & deprauationem quadam, aut motu, statu ue deformi, ut si aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro, fugere plane se ipse, & hominem ex homine exluens, naturam odisse uideatur.

quamobrem etiam sessiones quaedam, & flexi, fractiq. motus, quales proteruorum hominum, aut mollium esse solent, contra naturam sunt: ut, etiam si animi uicio id eueniat, tamen in corpore immutari hominis natura uideatur, itaque e contrarijs moderati, aequabilesq. habitus, effectiones, ususq. corporis, apta esse ad naturam uidentur. Iam uero animus non esse solum, sed etiam cuiusdam modi debet esse; ut & omnes partes suas habeat incolomes; & de uirtutibus nulla desit. atqui in sensibus est sua cuiusque uirtus, ut ne quid impediatur, quo minus suo sensus quisque munere fungatur in ijs rebus celeriter, expediteq. percipiendis, quae subiectae sunt sensibus: animi autem, & eius animi partis, quae princeps est, quaeq. mens nominatur, plures sunt uirtutes: sed duo prima genera; unum earum, quae ingenerantur suapte natura, appellanturq. non uoluntariae; alterum earum, quae in uoluntate positae, magis proprio nomine appellari solent: quarum est excellens in animorum laude praestantia. prioris generis est docilitas, memoria: quae sepe omnia appellantur uno ingenij nomine: easq. uirtutes qui habent, ingeniosi uocantur. alterum autem genus est magnarum, uerarumq. uirtutum: quas appellamus uoluntarias. ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam, & reliquas eiusdem generis.

EXPLANATIO

EST etiam actio quaedam corporis, § Etiam, reposuimus, reiecto Enim, secuti ueterem librum, & ordinem a Cicerone institutum, ea, quae corporis sunt, persequente, & a singulorum partium ualitudine ad actionis dignitatem transeunte. Haec Paullus pater. EFFECTIONES, ususq. corporis, § Malim, Actiones: cur malim, satis constat. Sic & in Latini libro postea scriptum uidi. Haec Paullus pater.

CICERO

ET summam quidem haec erant de corpore, animoq. dicenda. quibus quasi informatum est, quid hominis natura postulet. ex quo perspicuum est, quoniam ipsi a nobis diligamur, omniaq. & in animo, & in corpore perfecta uelimus esse, ea nobis ipsa cara esse propter se, & in ijs esse ad bene uiuendum momenta maxima. nam cui proposita sit conseruatio sui, necesse est huic partes quoque sui carae esse, carioresq., quo perfectiores sint, & magis in suo genere landabiles. ea enim uita expetitur, quae sit animi, corporisq. expleta uirtutibus: in eoq. summum bonum poni necesse est: quando quidem id tale esse debet, ut rerum expendarum sit extremum, quo cognito, dubitari non potest, quin, cum ipsi homines sibi sint per se, & sua sponte ca-

ri, partes quoque & corporis, & animi, & earum rerum, quae sunt in utriusque motu, & statu, sua caritate colantur, & per se ipsae appetantur. Quibus expositis, facilis est coniectura, ea maxime esse expetenda ex nostris, quae plurimum habent dignitatis, ut optima eiusque partis, quae per se expetatur, uirtus sit expetenda maxime. ita fiet, ut animi uirtus corporis uirtuti anteponatur, animiq. uirtutes non uoluntarias uincant uirtutes uoluntariae: quae quidem proprie uirtutes appellantur, multumq. excellent. propterea quod ex ratione gignunt: qua nihil est in homine diuinius. etenim omnium rerum, quas & creat natura, & tuetur, quae aut sine animo sint, aut non multo secus, eorum summum bonum in corpore est. ut non inscite illud dictum uideatur in sua, animi illi pecundi

pecudi datum pro sale, ne putresceret. Sunt autem bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile uirtutis, ut in leonibus, ut in canibus, ut in aquis; in quibus non corporum solum, ut in iuibus, sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam uidemus. in homine autem summa omnis animi est, & in animo rationis: ex qua uirtus est: quae rationis absolutio definitur: quam etiam atque etiam explicandam putant. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quaedam, & perfectio est, non dissimilis animantium. itaque & uiuere uitem, & mori, dicimus, arborumq. & nouellam, & uetulam, & uigere, & senescere. ex quo non est alienum, ut animantibus, sic illis & apte quaedam ad naturam aptare, & aliena amputare, earumq. augendarum, & alendarum quandam culturicem esse, quae sit scientia, atque ars agrorum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur; ut, quo natura ferat, eo possit ire: ut ipsae uites, si loqui possint, ita se tractandas, tuendasque esse fateantur. & nunc quidem, quod eam tuetur, (ut de uite potissimum loquar) est id extrinsecus. in ipsa enim parum magna uis est, ut quamoptime se habere possit, si nulla cultura adhibeatur. At

uero, si ad uitam sensus accesserit, ut appetitum quendam habeat, & per se ipsa moueatur; quid facturam putas? an, quae per uirtutem antea consequeretur, etiam per se ipsam curabit? sed uides, ne accessuram ei curam, ut sensus quoque suos, eorumq. omnium appetitum, & si qua sunt ei membra adiuncta, tueatur? sic ad illa, quae semper habuit, iunget ea, quae postea accesserint; nec eundem finem habebit, quem cultor eius habebat; sed uolet secundum eam naturam, quae postea ei adiuncta sit, uiuere. ita similis erit finis boni, atque antea fuerat; nec idem tamen. non enim iam stirpis bonum quaeret, sed animalis. quod si non sensus modo ei sit datus, uerum etiam animus hominis: non necesse est, & illa pristina manere, ut tuenda, & inter haec multo esse cariora, quae accesserint, animiq. optimam quamque partem carissimam, in eaq. expletionem naturae summi boni finem consistere, cum longe multumq. praesent mens, atque ratio? sic & extremum omnium appetendorum, atque ductum a prima communitate naturae, multis gradibus adscendit, ut ad summum perueniret: quod cumulat ex integritate corporis, & ex mentis ratione perfecta.

EXPLANATIO

INSCITE illud dictum § a Chrysippo. de nat. de lib. II. NE putresceret. § uide de Nat. De. lib. 2. & Var. de re rust. lib. 2. cap. 4. Latini liber, Ne putrescat. Nonius, Ne putifceret.

CICERO

CUM igitur ea sit, quam exposui, forma naturae: si, ut initio dixi, simul atque ortus esset, se quisque cognosceret, indicaretq. posset quae uis & totius esset naturae, & partium singularum; continuo uideret quid esset hoc, quod quaerimus, omnium rerum, quas expetimus, summum, & ultimum, nec ulla in re peccare posset. nunc uero a primo quidem mirabiliter occulta natura est, nec perspicui, nec cognosci potest: progredientibus autem aetatibus, sensim, tarde uel potius quasi nosmet ipsos cognoscimus. itaque illa prima commendatio, quae a natura nostri facta est, nobis obscura, & incerta est; primusq. appetitus ille animi tantum agit, ut salui, atque integri esse possimus. cum autem dispicere coeperimus, & sentire quid simus, & quid ab animantibus ceteris differamus; tum ea sequi incipimus, ad quae nati sumus. quam similitudinem uidemus in bestiis. quae primo, in quo loco nata sunt, ex eo se non commouent: deinde suo quaeque appetitu mouetur. serpere anguiculos, na re anaticulas, euolare merulas, cornibus uti uidemus boues, uespas aculeis, suam denique cuique naturam esse ad uiuendum ducem. quae similitudo in genere etiam humano apparet. parui enim primo ortu sic iacent, tamquam omnino sine animo sint: cum autem paululum firmitatis accesserit, & animo utuntur, & sensibus; committunturq. ut sese erigant, & manibus utuntur; & eos agnoscunt, a quibus educantur; deinde

aequalibus delectantur, libenterq. se cum his congregant; dantq. se ad ludendum; fabellarumq. auditione ducuntur; deq. eo, quod ipsis superat, alijs gratificari uolunt, animaduertuntq. ea, quae domi fiunt, curiosius incipiuntq. commentari aliquid, & discere; & eorum, quos uident, uolunt non ignorare nomina; quibusq. rebus cum aequalibus decertant, si uincunt, esse runt se laetitia, uicti debilitantur, animosq. demittunt. quorum sine causa fieri nihil putandum est. est enim natura sic generata uis hominis, ut ad omnem uirtutem percipiendam facta uideatur: ob eamq. causam parui uirtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina mouentur. sunt enim prima elementa naturae; quibus uirtutis quasi carmen efficitur. nam cum ita nati, factiq. simus, ut & agendi aliquid, & diligendi aliquos, & liberalitatis, & referendae gratiae principia in bonis contineremus; atque ad scientiam, prudentiam, fortitudinemq. aptos animos haberemus, a contrarijsq. rebus alienos: non sine causa eas, quas dixi, in pueris uirtutum quasi scintillas uidemus. e quibus accendi philosophi ratio debet, ut eam, quasi deum, ducem subsequens, ad naturae perueniat extremum. nam, ut saepe iam dixi, in infirma aetate, imbecillaq. mente uis naturae per caliginem cernitur: cum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem naturae uim, sed ita, ut progredi possit longius, per se sit tamen inchoata.

C I C E R O

INTRANDVM est igitur in rerum naturam, & pe-
nitus, quid ea postulet, per uidendum. aliter enim
nosmet ipsos nosse nō possumus. quod praeceptum quia
maius erat, quam ut ab homine uideretur, iccirco assi-
gnatum est deo. iubet igitur nos Pythius Apollo nosce-
re nosmet ipsos. cognitio autem haec est una, ut uim no-
stris corporis, animiq. norimus, sequamurq. eam uitam,
quae rebus ipsis persruatur. Quoniam autem is animi
appetitus a principio fuit, ut ea, quae dixi, quam perfe-
ctissima a natura haberemus, confitendum est, cum id
adepti simus, quod appetitum sit, in eo quasi ultimo cō-
sistere naturam, atque id esse summum bonum: quod
certe uniuersum sua sponte ipsum expeti, & propter
se necesse est: quoniam ante demonstratum est, etiam
singulas eius partes esse per se expetendas. In enume-
randis autem corporis commodis si quis praetermissam
a nobis uoluptatem putabit; in aliud tempus quae-
stio differatur. uirum enim sit uoluptas in ijs rebus,
quas primas secundum naturam esse diximus; nec ne
sit, ad id, quod agimus, nihil interest. si enim, ut mihi qui-
dem uidetur, non explet bona naturae uoluptas: iure
praetermissa est. sin est in ea, quod quidam uolunt: nihil
impedit nostram hanc comprehensionem summi boni.
quae enim constituta sunt prima naturae, ad ea si uol-
uptas accesserit, unum. aliquid accesserit commodum
corporis, neque eam constitutionem summi boni, quae

est proposita, mutauerit. Et adhuc quidem ita nobis
progressa ratio est, ut ea duceretur omnis a prima com-
mendatione naturae: nunc autem aliud iam argumentū
di sequamur genus; ut non solum, quia nos diligamus,
sed quia cuiusque partis naturae & in corpore, & in
animo sua quaeque uis sit, iccirco in his rebus summa
nostra sponte moueatur. Atque, ut a corpore ordiar, ui-
des ne, ut, si qua in membris praua, aut debilitata, aut
imminuta sint, occultent homines? ut etiam contēdant,
& elaborent, si efficere possint, ut aut non appareat
corporis uitium, aut quā minimum appareat; multosq.
etiam dolores curationis causa perferant; ut, si ipse
usus membrorum non modo non maior, uerum etiam
minor futurus sit, eorum tamen species ad naturam
reuertatur. etenim, cum omnes natura totos se expe-
tendos putent, nec id ob aliam rem, sed propter ip-
sos: necesse est eius etiam partes propter se expeti,
quod uniuersum propter se expetatur. Quid? in mo-
tu, & in statu corporis nihil inest, quod animaduerten-
dum esse ipsa natura indicet? quemadmodum quis
ambulet, sedeat, qui ductus oris, qui uultus in quo-
que sit, nihil ne est in his rebus, quod dignum libe-
ro, aut indignum esse ducamus? non ne odio dignos
multos putamus, qui quodam motu, aut statu uiden-
tur naturae legem, & modum contempsisse?

EXPLANATIO

REBS ipsis persruatur. § Perficiatur, antiquus liber.

C I C E R O

ET, quoniam haec ducuntur de corpore; quid est,
cur non recte pulchritudo etiam ipsa propter se
expetenda ducatur? nam, si prauitatem, imminutio-
nemq. corporis propter se fugiendam putamus: cur non
etiam, ac fortasse magis, propter se formae dignitatem
sequamur? & si turpitudinē fugiamus in statu, & motu
corporis: quid est, cur pulchritudinem non sequamur?
Atque etiam ualetudinem, uires, uacuitatem doloris
non propter utilitatem solum, sed etiam ipsas propter
se expetemus. quoniam enim natura suis omnibus ex-
pleri partibus uult, hunc statum corporis per se ipsum
expetit, qui est maxime e natura: quae tota perturba-
tur, si aut aegrum corpus est, aut dolet, aut caret uiri-
bus. Videamus animi partes: quarum est adspēctus il-
lustrior: quae quo sunt excelsiores, eo dant clariora in-
dicia naturae. Tantus igitur est imatus in omnibus co-
gnitionis amor, & scientiae, ut nemo dubitare possit,
quin ad eas res hominum natura, nullo emolumento in-
uitata, rapiatur. Videmus ne, ut pueri ne uerberibus
quidem a contemplandis rebus, perquirendisq. deter-
reantur? ut pulsi requirant, & aliquid scire se gaudeāt?
ut alijs narrare gestiant? ut pompa, ludis, atque eius-
modi speculis teneantur, ob eamq. rem uel famem, & si

tim perferant? Quid uero, qui ingenijs studijs, atque ar-
tibus delectantur, non ne uidemus eos nec ualetudinis,
nec rei familiaris habere rationem? omniaq. per peti, ip-
sa cognitione, & scientia captos? & cum maximis cu-
ris, & laboribus compensare eam, quam ex discendo ca-
pian, uoluptatem? mihi quidem Homerus huiusmodi
quiddam uidisse uidetur in ijs, quae de Sirenium canri-
bus finxerit. neque enim uocum suauitate uidetur, aut
nouitate quadam, & uarietate cantandi reuocare eos
solitae, qui praeteruehebantur; sed quia multa se scire
profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupi-
ditate adhaerescerent. ita enim inuitant Vlyxem:
(nam uerti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum lo-
cum)

O decus Argolicum, quin puppim flectis Vlyxes,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus?
Nam nemo haec umquā est transuectus caernla cursu,
Quin prius adstiterit uocum dulcedine captus,
Post, uarijs auido satiatus peccore musis,
Dollior ad patrias lapsus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli, clademq. tenemus,
Graecia quam Troiae diuino nomine uexit,
Omniaq. e latris rerum uastigia terris.

uidit

nidit Homerus probari fabulam non posse, si cantuunculis tantus uir irretitus teneretur, scientiam pollicentur: quam non erat mirum sapientiae cupido patria cariorum. Atque omnia quidem scire, cuiuscumque modi sunt, cupere, curiosorum; duci uero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae, summorum uirorum est putandum, quem enim ardorem studij censetis fuisse in Archimede, qui, dum in puluere quaedam describit

attentus, ne patriam quidem captam esse senserit? quantum Aristoxeni ingenium consumptum uidemus in musicis? quo studio Aristophanem putamus aetatem in litteris duxisse? quid de Pythagora, quid de Platone, aut Democrito loquar? a quibus propter discendi cupiditatem uidemus ultimas terras esse peragratas, quae qui non uident, nihil umquam magna cognitione dignum amauerunt.

EXPLANATIO

SI turpitudinem fugiamus? Placeret, Fugimus: cum dixerit iam, Fugendum putamus, uerum hoc leue est. Haec Paullus pater. HOMERVS huiusmodi quiddam uidisse uidetur in ijs, quae de Sirenum cantibus? Versus sunt Homeri XII. Odyssaeae. ARISTOPHANEM } malim hic aliquem nominari philosophum, qui uixerit ante Pythagoram, quam poetam.

CICERO

ATQUE hoc loco, qui propter animi uoluptates colunt ea studia, quae dixi; non intelligunt iccirco esse ea propter se expetenda, quod, nulla utilitate obiecta, delectentur animi, atque ipsa scientia, etiam si incommoda datura sit, gaudeant. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? ipsi enim quaeramus a nobis, stellarum motus, contemplationesque rerum caelestium, eorumque omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones quemadmodum nos moueant; & quid historia delectet; quam solemus persequi usque ad extremum; praetermissa repetimus; inchoata persequimur. Nec uero sum inscius esse utilitatem in historia, non modo uoluptatem. quid, cum fictas fabulas, e quibus utilitas nulla duci potest, cum uoluptate legimus? quid, cum uolumus nomina eorum, qui quid gesserint, nota nobis esse, pariter, patriam, multa praeterea minime necessaria? Quid, quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, opifices denique delectentur historia? maximeque eos uidere possumus res gestas audire, & legere uelle, qui a spe gerendi absunt confecti senectute. Quae circa intelligi necesse est, in ipsis rebus, quae discuntur, & cognoscuntur, inuitamenta inesse, quibus ad discendum cognoscendumque moueamur. Ac ueteres quidem philosophi, in beatorum insulis, fingunt, qualis natura sit uita sapientium; quos cura omni

liberatos, nullum necessarium uitae cultum, aut paratum requirentes, nihil aliud esse acturos putant, nisi ut omne tempus in quaerendo, ac discendo, in naturae cognitione consumant. nos autem non solum beatae uitae istam oblectationem uidemus, sed etiam leuamentum miseriarum. itaque multi, cum in potestate essent hostium, aut tyrannorum, multi in custodia, multi in exsilio, dolore suum doctrinae studijs leuauerunt. princeps huius ciuitatis Phalereus Demetrius, cum patria pulsus esset iniuria, ad Ptolemaeum se regem Alexandriam contulit, qui cum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophrastus, esset auditor; multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus; sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Equidem et Cn. Aufidio, praetorio, erudito homine, oculis capto, saepe audiebam, cum se lucis magis, quam utilitatis desiderio moueri diceret. somnum denique nobis, nisi requietem corporibus, & medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putarem datum, aufert enim sensus, actionemque tollit omnem. itaque, si aut requietem natura non quaereret, aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile pateremur; qui etiam nunc, agendi aliquid, discendi que causa, prope contra naturam uigilias suscipere soleamus.

CICERO

SVNT autem clariora, uel plane perspicua, minimeque dubitanda indicia naturae, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus aliquid agere semper, neque ulla condicione quietem sempiternam possit pati. facile est haec cernere in primis puerorum aetatulis. quamquam enim uereor, ne nimis in hoc genere uidear: tamen omnes ueteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt; quod in pueritia facillime se arbitrentur naturae uoluptatem posse cognoscere, uidemus igitur, ut conuiescere ne infantes quidem possint: cum uero paullum processerint, lusionibus uel laboriosis delectantur, ut ne uerberibus quidem deterri possint: eaque cupiditas agendi aliquid

adolecit una cum aetatibus. itaque, ne si incundissimis quidem nos somnijs usuros putemus, Endymionis somnum nobis uelimus dari: idque si accidat, mortis instar putemus. Quin etiam inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia praeditos, uidemus tamen & animo, & corpore moueri semper, & cum re nulla impediatur necessaria, aut alueolum poscere, aut quaerere quippiam ludum, aut sermonem aliquem requirere; cumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos, & semicirculos consecrari. Ne bestiae quidem, quas delectationis causa concludimus, cum copiosius alantur, quam si essent liberae, facile patimur sese contineri; motusque solutos, & uagos, a natura sibi tributos,

hutos, requirunt. Itaque, ut quisque optime natus, insitutusque est, esse omnino nolit in uita, si gerendis negotijs orbatus, possit paratissimis nesci uoluptatibus. nam aut priuatum aliquid gerere uolunt: aut, qui altiore animo sunt, capeſſunt temp. honoribus, imperijsq. adipiscendis: aut totos se ad studia doctrinae conferunt. qua in uita, tantum abest, ut uoluptates conſeſſentur: etiam curas, sollicitudines, uigilias perferunt: optimaq. parte hominis, quae in nobis diuina ducenda est, ingenij, & mentis acie fruuntur, nec uoluptates requirentes, nec fugien-

tes laborem, nec uero intermittunt aut admirationem earum rerum, quae sunt ab antiquis repertae, aut inuestigationem nouarum. quo studio cum satiari non possunt, omnium ceterarum rerum obliti, nihil abieciunt, nihil humile cogitant. tantaque est uis talibus in studijs, ut eos etiam, qui sibi alios proposuerunt fines bonorum, quos utilitate, aut uoluptate dirigunt, tamen in rebus quaerendis, explicandisque naturis aetates contere-re uideamus. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendum esse natos.

EXPLANATIO

NE infantes & Ar. lib. IX. Pol. cap. 6. Οὐ γὰρ δὴ αὐτὰρ τὸ νέον ἵσχυρὰ ζῆν. Et Plato I. II. de leg. Τὸ νέον δὲ πᾶσι συζητᾶν ἀ γένει οὐ δὴ αὐτὰρ. CIRCULOS aliquot, & semicirculos & Hominum indicat coetus in orbem coactos, ad confabulandum recreandi animi gratia. TANTVM abest, ut uoluptates conſeſſentur: etiam curas, sollicitudines, uigilias perferunt: & Sic locutus lib. 2. Tantum abest, ut se indicet: perficiet etiā, ut dolere alte improbe facto uideatur. Et in Bruto: Tantum aberat, M. Calidi, ut animos nostros inflammares: somnum isto loco uix tenebamus. Hoc exemplis confirmandum putauim, ne quis legendum existimaret, Vt etiam perferant: quod omnino uideretur uſitatus: uerum nec hoc excludendum est loquendi genui. Haec Paullus pater.

CICERO

ACTIONVM autem genera plura, ut obſcurentur etiam minora maioribus, maximae autem sunt, primum, ut mihi quidem uidetur, & ijs, quorum nunc in ratione uersamur, consideratio, cognitioque rerum caelestium, & earum, quas a natura occultatas, & latentes indagare ratio potest: deinde rerum administratio, aut administrandi sciendique prudens, temperata, fortis, & iusta ratio, reliquaeque uirtutes, & actiones uirtutibus congruentes; quae, uno uerbo complexi omnia, honesta dicimus. ad quorum etiam cognitionem, & uſum iam corroborati, natura ipsa praeſente deducimur. omnium enim rerum principia parua sunt, sed suis progressionibus uſa augetur: nec sine cauſa, in primo enim ortu inest teneritas, & mollities quaedam, ut nec res uidere optimas, nec agere possint. uirtutis enim, beatitatisque uitae, quae duo maxime expetenda sunt, serius lumen apparet; multo etiam serius, ut plane, qualia sint, intelligantur. praeclare enim Plato, beatum, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam, uerasque opiniones aſſequi possit. Quare, quoniam de primis naturae commodis satis dictum est, nunc de maioribus, conſequentibusque uideamus. Natura igitur corpus quidem hominis sic & genuit, & formauit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente aetate fingeret, neque sane multum adiumentis externis, & aduenticijs uteretur: animum autem reliquis rebus ita perfecit, ut corpus: sensibus enim ornauit ad res percipiendas idoneis, ut nihil, aut non multum adiumento ullo ad suam conformationem indigeret: quod autem in homine praestantissimum, atque optimum est, id deseruit. etſi dedit ta-

lem mentem, quae omnem uirtutem iam accipere possit; ingenuitque, sine doctrina notitias paruas rerum maximarum; & quasi instituit docere, & induxit in ea, quae inerant, tanquam elementa uirtutis. sed uirtutem ipsam inchoauit: nihil amplius: itaque nostrum est, (quod nostrum dico, artis est) ad ea principia, quae accepimus, conſequentia exquirere, quoad sit id, quod uolumus, effectum: quod quidem plura sit haud paullo, magisque, ipsum propter se expetendum, quam aut sensus, aut corporis ea, quae diximus: quibus tantum praestantis excellens perfectio; ut uix cogitari possit, quid intersit, itaque omnis honos, omnis admiratio, omne studium ad uirtutem, & ad eas actiones, quae uirtuti sunt conſentaneae, refertur. eaque omnia, quae aut ita in animis sunt, aut ita geruntur, uno nomine honesta dicuntur. quorum omnium quaeque, sint notitiae, quaeque, significantur rerum uocabulis, quaeque, cuiusque uis, & natura sit, mox uidebimus. hoc autem loco tantum explicemus, haec honesta quae dico, praeterquam quod nosmet ipsos diligamus, praeterea suapte natura per se esse expetenda. indicant pueri: in quibus, ut in speculis, natura cernitur. quanta studia decertantium sunt? quanta ipsa certamina? ut illi efferantur laetitia, cum uicerint? ut pudet uictos? ut se accusari nolunt? quae cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, ut aequalium principes sint? quae memoria est in his bene merentium? quae referendae gratiae cupiditas? atque ea in optima quaque indole maxime apparent. in qua haec honesta, quae intelligimus, a natura tanquam adumbrantur.

EXPLANATIO

RERVM P. administratio aut administrandi sciendique prudens, & Etſi nihil mutauim, tamen, nisi prorsus nihil in litteris uideo, rectius est, Administrandi scientia; tum prudens &c. Sic in uetere libro.

bro. Haec Paullus pater. **PRAECLARE** enim Plato, § lib. 2. de leg. ἀρετήν, καὶ ἀλλοδαῖς δόξαι βεβαιότερον, ἀντιπαραστήσειν τὸ τῶν κατὰ φύσιν ἀρετῶν παρὰ τῶν ἄλλων. **VIRTUTEM** ipsam inchoauit: nihil amplius: § Genus loquēdi, quo Cicero etiam alibi usus est, ut Academ. lib. 11. Excepit, unum tantum scire se, nihil amplius. Et lib. 111. in Verrem: Sese ipsum abs te repetit, nihil amplius. Et in eundem lib. 1 v. Haec tunc reprehendat, si quis uolet; nihil amplius. Et pro Caecina: In possessionem in praesentia non restituetur; nihil amplius. Et pro Flacco: Qua disputatione orationem refellam eius, qui dicit, Dedimus, nihil amplius. Et ad Cassium epist. 1. lib. x 11. Adhuc ultra resp. suas iniurias per uos, interitu tyranni: nihil amplius: ornamenta uero sua quae recuperauit? Quibus adductus exemplis, locum emendauit. Et Terent. Heaut. act. 1 v. sc. 3. Antea legebatur: Virtutem ipsam inchoauit: nihil itaque amplius nostrum est: obscurata; praepostero uerborum ordine, sententia. Haec Paullus pater.

CICERO

SED haec in pueris expressa: in ijs uero aetatibus, quae iam confirmatae sunt, quis est tam dissimilis homini, qui non moueatur & offensione turpitudinis, & comprobatione honestatis? quis est, qui non oderit libidinosam, proteruam adolescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiam si sua nihil interstet, non tamen diligit? quis Pullum Numitore, Fregellanum proditorem, quamquam reip. nostrae profuit, non odit? quis urbis conseruatore Codrum, quis Erechthei filias non maxime laudat? cui Tubulli nomen odionon est? quis Aristidem mortuum non diligit? An obliuiscimur, quantopere in audiendo, legendoq. moueamur, cum pie, cum amice, cum magno animo aliquid factum cognoscimus? Quid loquar de nobis, qui ad laudem, & ad decus nati, suscepti, instituti sumus? qui clamores uulgi, atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur?

Ego sum Orestes:

contraq. ab altero:

Immo enim uero ego sum, inquam, Orestes.

cum autem etiam exiis ab utroque datur conturbato, errantiq. regi: ambos ergo una uiuere precamur. quoties hoc agitur, quando ne, nisi admirationibus maximis? Nemo est, igitur, qui non hanc affectionem animi probet, atque laudet: qua nō modo utilitas nulla quaeritur; sed contra uilitatem etiam conseruatur fides. Talibus exemplis non fictae solum fabulae, uerum et historiae refertae sunt, & quidē maxime nostrae. nos enim ad sacra Idaea concipienda optimum uirum de-

legimus: nos tutores misimus regibus: nostri imperatores pro salute patriae sua capita uouerunt: nostri consules regem inimicissimū, moenibus iam appropinquantem, monuerunt, a ueneno ut caueret: nostra in rep. & quae per uim oblatum stuprum uoluntaria morte lueret, inuenta est; & qui interficeret filiam, ne stupraretur. Quae quidem omnia, & innumerabilia praeterea, quis est, qui non intelligat, & eos, qui fecerunt, dignitatis splendore ductos, immemores fuisse utilitatis suarum; nosq. cum ea laudemus, nulla alia re, nisi honestate, duci? Quibus rebus breuiter expositis, (nec enim sum copia, quam potui, quia dubitatio in re nulla erat, persecutus) sed his rebus concluditur profecto, & uirtutes omnes, & honestum illud, quod ex his uirtutibus exoritur, & in his haeret, esse per se expetendum. In omni autem honesto, de quo loquimur, nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum, & quasi quaedam societas, & communicatio utilitatum, & ipsa caritas generis humani: quae nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus coniugio, & stirpe coniungitur, serpit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitijs, post uicinitatibus, tum ciuibus, & ijs, qui publice socij, atque amici sunt, deinde totius complexu gentis humanae. quae animi affectio suū cuique tribuens, atque hanc, quam dico, societatem coniunctionis humanae munifice, & aequae tuens, iustitia dicitur. cui adiunctae sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quaeq. sunt generis eiusdem.

EXPLANATIO

VRBS conseruatore Codrum, § Athenarum: historiam lege apud Trogum. **ERECOTHEI** filias § a patre immolatas Proserpinae, Athenis peste laborantibus. **Ego sum Orestes, &c.** § Versus traegodiae Pacuuij, quae Orestes inscribitur. **CONTRBATO, errantiq. regi** § Thoanti scilicet: quem Py-lades, & Orestes interfecerunt. **OPTIMUM uirum** § Scipionem Nasicam. **VICINIATIBVS cum ciuibus** § consentiunt in hoc antiqui libri: mihi tamen non est dubium, quin ita emendandum, & distinguendum sit, Vicinitatibus, tum ciuibus. hoc enim quasi progressu serpit caritas generis humani, primi sunt parentes, & nati, sequuntur cognati, tum affines, deinde amici, post uicini, tum ciues, & qui publice socij, atque amici sunt, postremo humanae gentis uniuersae, & hominum inter homines coniunctio. Haec Paullus pater.

CICERO

ATQUE haec ita iustitiae propria sunt, ut sunt hominis natura generata sit, ut habeat quiddam imatū uirtutum reliquarum communia. nam, cum sic quasi ciuile, atque populare, quod Graeci πολιτικόν uocant:

nocant: quidquid aget quaeque uirtus, id a communitate, & ea, quam exposui, caritate, atque societate humana non abhorrebit: iucissimq. iustitia, ut ipsa se fundet usum in ceteras uirtutes, sic illas expetet. seruari enim iustitia, nisi a forte uiro, nisi a sapiente, non potest. Qualis est igitur omnis haec, quae dico, conspiratio, consensusq. uirtutum: tale est illud ipsum honestum: quandoquidem honestum aut ipsa uirtus est, aut res gesta uirtute: quibus in rebus uita consentiens, uirtutibusq. respondens, recta, & honesta, & constans, & naturae congruens existimari potest. Atque haec coniunctio, confusioq. uirtutum tamen a philosophis ratione quadam distinguitur, nam cum ita copulatae, conexaeq. sunt, ut omnes omnium participes sint, nec alia possit separari: tamen proprium suum cuiusque munus est, ut fortitudo in laboribus; periculisq. cernatur, temperantia in praetermittendis uoluptatibus, prudentia in delectu bonorum, & malorum, iustitia in suo cuique tribuen-

do. quando igitur inest in omni uirtute cura quaedam quasi foras spectans, aliosq. appetens, atque complectens; existit illud, ut amici, ut fratres, ut propinqui, ut affines, ut ciues, ut omnes denique, quando unam societatem hominum esse uolumus, propter se expetendi sint. atque eorum nihil est eius generis, ut sit in fine, atque extremo bonorum. ita sit, ut duo genera propter se expetendorum reperiantur: unum, quod est in ijs, quibus completur illud extremum: quae sunt aut animi, aut corporis, haec autem, quae sunt extrinsecus, id est quae neque in animo sunt, neque in corpore, ut amici, ut parentes, ut liberi, ut propinqui, ut ipsa patria, sunt illa quidem sua sponte cara, sed eodem in genere, quo illa, non sunt. nec uero quisquam summum bonum assequi unquam posset, si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur.

CICERO

Quo modo igitur, inquires, uerum esse poterit, omnia referri ad summum bonum, si amicitiae, si propinquitates, si reliqua externa summo bono non continentur? Haec uidelicet ratione; quod ea, quae externa sunt, ijs tuemur officijs, quae oriuntur, a suo cuiusque genere uirtutis. nam & amici cultus, & parentis, & qui officio fungitur, in eo ipso prodest, quod, ita fungi officio, in recte factis est: quae sunt orta uirtutibus. quae quidem sapientes sequuntur, utentes tamquam duce natura. non perfecti autem homines, & tamen ingenijs excellentibus praediti, excitantur spe gloriae; quae habet formam honestatis, & similitudinem. quod si ipsam honestatem undique perfectam, & absolutam, rem unam praeclearissimam omnium, maximeq. laudandam, peritus uiderent: quoniam gaudio complerentur; cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur? quem enim de dium uoluptatibus, cupiditatum incendijs inflammatum, in ijs potiendis, quae acerrime concupiisset, tanta laetitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorum Africanum Hannibale uicto, aut posteriorem Carthaginem euerfa? quem Tiberina decursio festo illo die tanto gaudio affecit, quanto L. Paullum, cum regem Persen captum adduceret, eodem flumine inuectum? Age nunc, Luci noster, exstrue animo altitudinem, excellentiamq. uirtutum: iam non dubitabis, quin earum compositos homines, magno animo, erectoq. uidentes, semper sint

beati: qui omnes motus fortunae, mutatione sq. rerum, & temporum leues, & imbecilles fore intelligant, si in uirtutis certamen uenerint. illa enim, quae sunt a nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam uitam, sed ita, ut sine illis possit beata uita existere. ita enim paruae, & exiguae sunt istae accessiones bonorum, ut, quemadmodum stellae in radio solis, sic istae in uirtutum splendore ne cernantur quidem. atque, haec, ut uere dicitur, parua esse ad beate uiuendum momenta ista corporis commodorum: sic nimis uiolentum est, nulla esse, dicere. qui enim sic disputant, obliti mihi uidentur, quae ipsi egerint principia naturae. tribuendum est igitur his aliquid, dummodo, quantum tribuendum sit, intelligas. est tamen philosophi non tam gloriosa, quam uera quaerentis, nec pro nihilo putare ea, quae secundum naturam illi ipsi gloriosi esse fatebantur, & uidere tantam uim uirtutis, tantamque, ut ita dicam, auctoritatem honestatis, ut reliqua non illa quidem nulla, sed ita parua sint, ut nulla esse uideantur. Haec est non omnia spernentis praeter uirtutem, & uirtutem ipsam suis laudibus amplificantis oratio. denique haec est undique completa, & perfecta explicatio summum boni. hinc ceteri particulas arripere conati, suam quisque uideri uoluit afferre sententiam. Saepe ab Aristotele, & Theophrasto mirabiliter est laudata per se ipsa rerum scientia. hoc uero captus Herillus, scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam.

EXPLANATIO

Quem Tiberina decursio festo illo die? Quidij uerbis adductus sum, ut pro Dissensio, legendum putarem. Decursio; hoc facilius, quod Maffei, ac Tertij ueteres libri comprobant. erat autem festus ille dies, quem Romani in honorem Fortunae celebrabant. unde Ouidius lib. vi. Fast. Itc, deam laeti fortes celebrate Quirites: In Tiberis ripa munera regis habet. Pars pede, pars etia celeri decurrite cymba, Nec pudeat potos inde redire domum. Haec Paullus pater. Atque, haec, ut uere dicitur, parua esse ad beate uiuendum momenta ista corporis commodorum: Cum dixerit, Haec, cur infert, Ista? equidem postrema quattuor uerba suspicor non esse Ciceronis, sed hominis leuiter eruditi, qui uerbum Haec, putaret explicandum. Tertij liber habet, Commoda, pro Commodorum. Haec Paullus pater. Haec est non omnia spernentes praeter uirtutem, & uirtutem ipsam suis laudibus amplificantis oratio denique. Si quis nostrum librum hoc in loco cum alijs libris conferet; uidebit, unius litterae mutatio, & punctum loco motum quanto sententiam effecerit aptiorem. Haec Paullus pater.

CICERO

CICERO

MULTA sunt dicta ab antiquis de contemnendis, ac de spiciendis rebus humanis. hoc unum Aristoteles tenuit: praeter uicia, atque uirtutes, negauit rem esse nullam aut fugiendam, aut expetendam. Positum est a nostris in istis rebus, quae secundum naturam essent, non dolere. hoc Hieronymus summum bonum esse dixit. at uero Callipho, & post eum Diodorus, cum alter uoluptatem adamauisset, alter uacuitatem doloris, neuter honestate carere potuit, quae est a nostris laudata maxime. Quin etiam ipsi uoluptarij diuertentia quaerant, & uirtutes habeant in ore totos dies, uoluptatemque primo dumtaxat expeti dicant, deinde consuetudine quasi alteram quandam naturam effici; qua impulsu multa faciunt, nullam quaerentes uoluptatem. Stoici restant. hi quidem non unam aliquam, aut alteram a nobis, sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt: atque, ut reliqui fures earum rerum, quas ceperunt, signa commutant: sic illi, ut sententijs nostris pro suis uterentur, nomina, tamquam rerum notas, mutauerunt. ita relinquunt sola haec disciplina digna studiosis ingeniarum artium, digna eruditis, digna claris uiris, digna principibus, digna regibus. Quae cum dixisset, paulumque institisset, quid est, inquit? satis ne uobis uideor pro meo iure in uestris auribus commentatus? Et ego, tu uero, inquam, Piso, ut saepe alias, sic hodie ita ista nosse uisus es, ut, si tui copia

nobis semper fieret, non multum Graecis supplicandum putarem. quod quidem eo probaui magis, quia memini Staseam Neapolitanum, doctorem illum tuum, nobilem sane Peripateticum, aliquanto ista secus dicere solitum, assentientem istis, qui multum in fortuna secunda, aut aduersa, multum in bonis, aut malis corporis ponerent. Est, ut dicis, inquit: sed haec ab Antiocho, nostro familiari, dicuntur multo melius, & fortius, quam a Stasea dicebantur. quamquam ego non quaero, quid tibi a me probatum sit, sed huic Cicero nostro, quem discipulum cupio a te abducere. Tum Lucius: mihi uero ista ualde probata sunt: quod item fratri puto. Tum mihi Piso, quid ergo, inquit? das ne adolescenti ueniam; an eum discere ea mauis, quae cum praeclare didicerit, nihil sciat? Ego uero, inquam, permitto. sed non ne me mimiisti mihi licere probare ista, quae sunt a te dicta? quis enim potest ea, quae probabilia uideantur ei, non probare? An uero, inquit, quisquam potest probare, quod perceptum, quod comprehensum, quod cognitum non habet? Non est ista, inquam, Piso, magna dissensio. nihil est enim aliud, quam obrem nihil percipi mihi posse uideatur, nisi quod percipiendi uis ita definitur a Stoicis, ut negent quidquam posse percipi, nisi tale uerum, quale falsum esse non possit. itaque haec cum illis est dissensio, cum Peripateticis nulla sane.

EXPLANATIO

CONSUETUDINE quasi alteram quandam naturam effici; § Cortexi locum, ex libris Sigonij, & Tertij, antea, Consuetudinem. Haec Paullus pater.

CICERO

SED haec omitamus: habent enim & bene longam, & satis litigiosam disputationem. Illud mihi a te nimium festinanter dictum uidetur, sapientes omnes esse semper beatos. nescio quo modo praeteruolauit oratio. quod nisi ita efficitur; quae Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus coniungi beatam uitam nullo modo posse putauit, uereor ne uera sint, nam illud uehementer repugnat, eundem & beatum esse, & multis malis oppressum. haec quo modo conueniant, non sane intelligo. Vtrum igitur tibi non placet, inquit, uirtutis tantam uim esse, ut ad beatam uiuendum se ipsa contenta sit: an, si id probas, ita fieri posse negas, ut illi, qui uirtutis compotes sint, etiam malis quibusdam affecti, beati sint? Ego uero uolo in uirtute uim esse quammaximam: sed, quanta sit, alias: nunc tantum, possit ne esse tanta, si quidquam extra uirtutem habeatur in bonis. Atqui, inquit, si Stoicis concedis, ut uirtus sola, si ad sit, uitam efficiat beatam: concedis etiam Peripateticis. quae enim mala illi non audet appellare; aspera autem, & incommoda, & reijcienda, & aliena naturae esse, concedunt; ea nos mala dicimus, sed exigua, & porro minima. quare, si potest esse beatus is, qui est in asperis, reijciendisque rebus; potest is quoque esse, qui est in paruis malis. Et ego, Piso, inquam, si est quisquam, qui acute in causis uidere soleat, quae

res agatur; is es profecto tu. quare attende, quae sunt, nam adhuc, meo fortasse uitio, quid ego quaeram, non perspicis. Istic sum, inquit; expectoque, quid ad id, quod quaeram, respondeas. Respondebo me non quaerere, inquam, hoc tempore, quid uirtus possit efficere, sed quid constanter dicatur, quid ipsum a se dissentiat. Quo igitur, inquit, modo? Quia cum a Zenone, inquam, hoc magnifice, tamquam ex oraculo, editur, uirtus ad beatam uiuendum se ipsa contenta est. Quare, inquit? Respondet: quia, nisi quod honestum est, nullum est aliud bonum. non quaero iam, uerum ne sit: illud dico, ea, quae dicat, praeclare inter se cohaerere. dixerit hoc quidem Epicurus, semper beatum esse sapientem: quod quidem solet ebullire non numquam. quem quidem, cum summis doloribus conficiatur, ait dicturum quam suauem esse, quam nihil curo. non pugnam cum homine, cur tantum habeat in natura boni: illud urgeam, non intelligere eum quid sibi dicendum sit, cum dolorem summum malum esse dixerit. eadem nunc mea aduersum te oratio est. Dicis eadem omnia & bona, & mala; quae quidem dicunt, qui numquam philosophum pictum, ut dicitur, uiderunt; ualitudinem, uires, staturam, formam, integritatem unguiculorum omnium; deformitatem, morbum, debilitatem, mala.

Q

EXPLA-

QUIA cum a Zenone ꝛ Putat excellens ingenio Sigonius, cuius acquiesco sententiae, abundare, Cum. Haec Paullus pater.

CICERO

IAM illa externa parce tu quidem. sed haec cum corporis bona sint, eorum conscientia certe in bonis numerabis, amicos, liberos, propinquos, diuitias, honores, opes. contra haec attende me nihil dicere: si ista mala sunt, in quae potest incidere sapiens; sapientem esse, non esse ad beate uiuendum satis. Immo uero, inquit, ad beatissime uiuendum parum est, ad beate uero satis. Animaduerti, inquam, te isto modo paullo ante ponere: & scio ab Antiocho nostro dici sic solere: sed quid minus probandum, quam esse aliquem beatum, nec satis beatum? quod autem satis est, eo quidquid acceperit, nimium est; & nemo nimium beatus est; & nemo beato beatior. Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui tres filios consules uidit, e quibus unum etiam & censorem, & triumphantem, quartum autem praetorem, eosq. saluos reliquit, & tres filias nuptas, cum ipse consul, censor etiam, augurq. fuisset, & triumphasset; ut sapiens fuerit, nõ ne beatior, quã ut item sapiens fuerit, qui in potestate hostium uigilijs, & inedia necatus est, Regulus? Quid me istud rogas, inquit? Stoicos roga. Quid igitur, inquit, eos responsuros putas?

Nihil beatiorem esse Metellum, quam Regulum. Inde igitur, inquit, audiendum est. Tamen a proposito, inquam, aberrauimus. non enim, inquam, quaero, quid uerum, sed quid cuique dicendum sit. utinam quidem dicerent alium alio beatiorem: iam ruinas uideres, in uirtute enim sola, & in ipso honesto cum sit bonum positum, cumq. nec uirtus, ut placet illis, nec honestum crescat; idq. bonum solum sit, quo qui potitur, necesse est beatus sit, cum id augeri non possit, in quo uno positum est beatum esse: qui potest esse quisquam alius alio beatior? Vides ne, ut haec concinanti? & hercule (fatendum est enim quod sentio) mirabilis est apud illos contextus rerum. respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus: quid sequatur, quid repugnet, uident. in geometria prima si dederis, danda sunt omnia. concede nihil esse bonum, nisi quod honestum sit: concedendum est, in uirtute sola positam esse beatam uitam. uide rursus retro. dato hoc, dandum erit illud, quod uestri non item.

CICERO

TRIA genera bonorum. procliuus currit oratio: uenit ad extremum: haeret in salebra. cupit enim dicere, nihil posse ad beatam uitam deesse sapienti. honesta oratio, Socratica, Platonis etiam. audeo dicere, inquit, non potest, nisi ret exueris illa. Paupertas si malum est, mendicus beatus esse nemo potest, quamuis sit sapiens. at Zeno eum non beatum modo, sed etiam diuitem dicere ausus est. Dolere malum: in crucem qui agitur, beatus esse non potest. Bonum liberi: misera orbitas. Bonum patria: miserum exsiliu. Bonum ualentudo: miseru morbus. Bonum integritas corporis: misera debilitas. Bonum incolumis acies: misera caecitas. quae si potest singula consolando leuare, uniuersa quo modo sustinebit? sit enim idem caecus, debilis, morbo grauissimo affectus, exsul, orbis, egeus, torqueatur equuleo: quem hunc appellas Zeno? beatum, inquit, etiam beatissimu? quippe inquiet; cum tam docuerim gradus istam rem non habere, quam uirtutem, in qua sit etiam ipsum bea-

tum. tibi hoc incredibile, quia beatissimum. quid tuum? credibile? si enim ad populum me uocas; eum, qui ita sit affectus, beatum numquam probabis: si ad prudentes; alterum fortasse dubitabunt, sit ne tantum in uirtute, ut ea praediti uel in Phalaridis tauro beati sint; alterum non dubitabant, quin & Stoici conuenientia sibi dicant, & uos repugnantia. Theophrasti igitur, inquit, tibi liber ille placet de beata uita? Tamen aberramus a proposito: & ne longius, prorsus, inquam, Piso, si ista mala sunt, placet. Non ne igitur tibi uidentur, inquit, mala? Id quaeris, inquam; in quo utrum respondebo, uerſes te huc atque illuc necesse est. Quo tandem modo, inquit? Quia, si mala sunt, is, qui erit in his, beatus non erit: si mala non sunt, iacet omnis ratio Peripateticorum. Et ille ridens, uideo, inquit, quid agas: ne discipulum abducas, times. Tu uero, inquam, ducas licet, si sequatur. erit enim mecum, si tecum erit.

EXPLANATIO

IN crucem qui agitur, ꝛ Melius duxi, quam, In cruce qui angitur. Haec Paullus pater.

CICERO

AVDI igitur, inquit, Luci. tecu enim, ut ait Theophrastus, mihi instituenda oratio est. Omnis auctoritas philosophiae consistit in beata uita comparanda:

beate enim uiuendi cupiditate incẽsi omnes sumus, hoc mihi cum tuo fratre conuenit, quare hoc uidendum est, possit ne nobis hoc ratio philosophorum dare: pollicetur certe.

certe, nisi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros, & caelestia acciperet? cur post Tarentum ad Architam? cur ad ceteros Pythagoreos, Echeatam, Timaeum, Acrionem Locros, ut, cum Socratem expressisset, adungeret Pythagoreorum disciplinam, eaque, quae Socrates repudiabat, adscisceret? cur ipse Pythagoras & Aegyptum lustravit, & Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obijt? tot maria transmisit? cur haec eadem Democritus? qui (uere, falso ne, quaeremus) dicitur oculis se priuasse: certe, ut quamminime animus a cogitationibus abduceretur, parimonium neglexit, agros deseruit incultos, quid quaerens aliud, nisi beatam uitam? quam si etiam in rerum cognitione ponebat; tamen ex illa inuestigatione naturae consequi uolebat, ut esset bono animo, id enim ille summum bonum *ἀγαθόν*, & saepe *ἀρετήν* appellat, id est animum terrore liberum, sed haec etsi praeclare, non dum tamē & perpolitā pauca enim, neque ea ipsa enucleate, ab hoc de uirtute quidem dicta: post enim haec in hac urbe primum a Socrate quaeri coepit, deinde in hunc locum delata sunt: nec dubitatum, quin in uirtute omnis ut bene,

sic etiam beate uiuendi spes poneretur. quae cum Zeno didicisset a nostris, ut in actionibus perscribi solet, de re eadem fecit alio modo, hoc tu nunc in illo probas. scilicet, uocabulis rerum mutatis, inconstantiae crimen ille effugit, nos effugere non possumus? ille Metelli uitam negat beatiorē, quam Reguli, praeponebam tamen, nec magis expetendam, sed magis sumendam, & si optio esset, eligendam Metelli, reiiciendam Reguli: ego, quā ille praeponebam, & magis eligendam, beatiorē hanc appello; nec ullo minimo momento plus ei uitae tribuo, quam Stoici, quid interest, nisi quod ego res notas notis uerbis appello, illi nomina noua quaerunt, quibus idem dicant? ita, quemadmodū in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet: sic isti nobis cum interprete audiendi sunt. bonum appello, quidquid secundum naturam est; quod contra, malum: nec ego solus, sed tu etiā Chrysippe in foro, domi, in schola definis, quid ergo? aliter homines, aliter philosophos loqui putes oportere; quanti quidque sit, aliter doctos, & indoctos? sed, cum consulerit inter doctos, quanti res quaeque sit; si homines essent, uisitate loquerentur, dum res mancant, uerba fugant arbitratu suo.

EXPLANATIO

ID est animum terrore liberum. § Glossema puro. Haec Paullus pater. Nec dubitatum, quin § Veteres libri, Nec dubitant, quin. foraste, Nec dubitanter, quin. uereor eum, ne minus notum, uisitatū tamen, loquendi genus, indoctis hominibus deprauandi occasionem attulerit. ego Ciceronem uideo ita locutum in ep. 3. l. xii. fam. Ea dixit, inquit, de proditoribus patriae, quae dici deberēt de proditoribus: de me quidem non dubitanter, quin omnia de meo consilio & uos fecissetis, & Canutius faceret. Haec Paullus pater. **I**n actionibus praescribi. § Sic ex antiquo libro, & ex consuetudine iuriconsultorum, apud quos Praescribere, est, excipere, hoc modo: Si paret, eum centum debere, nisi cum eo pactus eris, iudex eum condemnat. praescribitur enim iudici, ne condemnet, illa interpositione, Nisi cum eo pactus erit. Quod autem sequitur, De re eadem fecit alio modo; puto uerbum, Fecit, abundare. intelligitur enim non, Fecit, sed Egit: cum aliquis agere dicatur in iudicio de eadem re alio modo, qui, furto suo recuperato, uerbi gratia aestimatione, reperit idem furtum ab eodem alio actionis genere. tunc. n. dicitur de eadem re alio modo agere. quod uerant iuriconsultorum formulae. unde illud epist. 27. lib. xii. fam. Ut uos in uestris formulis, sic ego in epistolis, de eadem re alio modo.

CICERO

Sed uenio ad inconstantiae crimen; ne saepius dicas me aberrare: quam tu ponis in uerbis, ego positam an re putabam. Si satis erit hoc perceptum, in quo adiutores Stoicos optimos habemus, tantam uim esse uirtutis, ut omnia, si ex altera parte ponantur, ne appareant quidem, cum omnia, quae illi commoda certe dicunt esse, & sumenda, & eligenda, & praeposita, quae ita definiunt, ut satis magno aestimanda sint: haec igitur cum ego, tot nominibus a Stoicis appellata, partim nouis, & commenticijs, ut ista producta, & reiecta, partim idem significantibus, (quid enim interest, expectas, an eligas? mihi quidem etiam laudatius uidetur, quod eligitur, & ad quod delectus adhibetur) sed, cum ego ista bona omnia dixerō, tantum refert, quam magna dicam, quam expetenda, quam ualde. sin autem nec expetenda ego magis, quam tu eligenda; nec illa pluris aestimanda ego, qui bona, quam tu, qui producta ap-

pellas: omnia ista necesse est obscurari, nec apparere, & in uirtutis, tamquam in solis, radios incurrere. At enim, qua in uita est aliquid mali, ea esse beata non potest. Nec seges quidem igitur spicis uberibus, & crebris, si auenam usquam uideris; nec mercatura quaestuosa, si in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit. an hoc usquequaque aliter in uita, & non ex maxima parte de tota iudicabis? an dubium est, quin uirtus ita maximam partem obtineat in rebus humanis, ut reliquas obruat? audebo igitur, quae secundū naturam sunt, bona appellare, nec fraudare suo ueteri nomine, quam aliquid potius nouum exquirere, uirtutis autem amplitudinem quasi in altera librae lapso ponere. terram, mihi crede, ea lanx, & maria deprimet. semper enim ex eo, quod maximas partes continet, latissime eq. funditur, tota res appellatur.

C I C E R O

DICIMVS aliquem hilare uiuere: igitur, si semel tristior effectus est, hilara uita amissa est? at hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in uita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus dixerat, ut ait idem, uocaretur. Policratem Samium felicem appellant: nihil acciderat ei, quod nollet, nisi quod anulum, quo delectabatur, in mare abiecerat, ergo infelix una molestia, felix rursus, cum is ipse anulus in praecordijs piscis inuentus est. ille uero, si insipiens, quod certe, quoniam tyrannus; numquam beatus: si sapiens, ne tum quidem miser, cum ab Oronte, praetore Darei, in crucem actus est. at multis modis affectus, quis negat? sed ea mala uirtutis magnitudine obruebantur. An ne hoc quidem Peripatetis concedis, ut dicant, omnium uirorum bonorum, id est sapientum, omnibusq. uirtutibus ornatorum, uitam omnibus partibus plus habere semper boni, quam mali? quis hoc dicit? Stoicis licet minime: sed isti ipsi, qui uoluptate, & dolore omnia metiuntur, non clamant, sapienti plus semper adesse, quod uelit, quam quod nolit? cum tantum igitur in uirtute ponant, qui se fatentur uirtutis causa, nisi ea uoluptatem acciret, ne manum quidem uersuros fuisse: quid facere nos oportet,

qui quamuis minimam animi praestantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conspectu quidem relinquamus? quis enim est, qui haec cadere in sapientem, dicere audeat, ut, si fieri possit, uirtute in perpetuum abiciat, ut dolore omni liberetur? quis nostrum dixerit, quos non pudet ea, quae Stoici aspera dicunt, mala dicere, melius esse, turpiter aliquid facere cum uoluptate, quam honeste cum dolore? nobis Heraclotes ille Dionysius flagitiose desinisse uidetur a Stoicis propter oculorum dolorem. quis uero hoc didicisset a Zenone, non dolere, cum doleret? illud audierat, nec tamen didicerat, malum illud non esse, quia turpe non esset, & esset ferendum uiro. hic si Peripateticus fuisset, permansisset, credo, in sententia: quoniam dolorem dicunt malum esse. de asperitate autem eius fortiter ferenda praecipunt eadem, quae Stoici. & quidem Arcefilas tuus, etsi fuit in disceptando pertinacior, tamen nosler fuit: erat enim Polemonis: cum arderet podagrae doloribus, uisitassetq. hominem Carneades, Epicuri per familiaris, & tristis exiret, Manes, quaeeso, inquit, Carneade nosler: nihil illinc huc peruenit: ostendit pedes, & pectus: attamen hic mallet non dolere.

EXPLANATIO

PROPTER oculorum dolorem? Aut, Oculorum, deprauatum est: aut Cicero sibi non constat. nam Tutculana 2. renum dolore Dionysium hunc laborantem memorat. Haec Paullus pater. Esset ferendum uiro. Sententia postulat, Esse: ut hoc dicatur: quod turpe non sit, malum illud non esse, & esse ferendum uiro. Haec Paullus pater.

C I C E R O

HAEC igitur est nostra ratio; quae tibi uidetur inconstans: cum propter uirtutis caelestem quandam, & diuinam, tantamq. praestantiam, ut, ubi uirtus sit, resq. magnae sumendae, laudabilesq. uirtute gestae, ibi esse miseria, & aerumna non possit, tamen labor possit ei molestia; non dubitem dicere, omnes sapientes semper beatos esse, sed tamen fieri posse, ut sit alius alio beator. Atqui ille locus est, Piso, tibi etiam atque etiam confirmandus, inquam: quem si tenueris, non modo meum Ciceronem, sed etiam me ipsum abducas licebit. Tum Quintus, mihi quidem, inquit, satis hoc confirmatum uidetur. laetor quidem, philosophiam, cuius au-

tea supellestem pluris aestimabam, quam possessiones reliquorum; (ita mihi diues uidebatur, ut ab ea petere possem, quidquid in studijs nostris concupissem.) hanc igitur laetor etiam acutiorem reperit, quam ceteras: quod quidem ei deesse dicebant. Num quam nostram quidem? inquit Pomponius iocans. sed mehercule pergrata mihi oratio tua, quae enim dici Latine posse non arbitrabar, ea dicta sunt a te, nec minus plane, quam dicuntur a Graecis, uerbis aptis. Sed tempus est, si uidetur, & recta quidem ad me. Quod cum ille dixisset, & satis disputatum uideretur; in opidum ad Pomponium perreximus omnes.

EXPLANATIO

RESQ. magnae sumendae, laudabilesq. uirtute gestae, Ciceronem aliter scripsisse, uel sacramento, uel terum more, contenderem, scripsit autem hoc fortasse: Resq. magnae, summeq. laudabiles, uirtute gestae. Haec Paullus pater.

MO MO
ILLVSTR. AC. REVER.

CAESARI . DE . NORES
COMITI . TRIPOLIS
S Y R I A E
EPISCOPO . PARENTINEN.
COMITI . VRSARAE &c.



X omnibus humanis rebus, quae merito non modo prudentis, fortisq. uirtutem, sed etiam optimum Christiani animum, mentemq. probant, excellere duas in primis in omni aetate omnium consensu iudicatum est, utramque scilicet hominis fortunam. in illa enim, quae maxime ab omnibus felix, beataq. uocatur, atque summa in admiratione habetur, nisi adsint, quae magna ex parte a Christi habentur praeceptis, praeterea etiam uirtutes illae, quae uirum bonum exornant, singularis prudentia, illa animi etiam ratione temperata admirabilis magnitudo; quid profecto homines non mali cogitant, non perpetrantur? omnia sibi licere putant. honestum, et turpe, Dei Opt. Max. immemores, promiscue habent. Altera uero misera, infelixq. condicio cum aliquorum hominum uexat animos, cordaq. perturbat, cogitationes irritat, sensus decipit, nisi optimam in illis, sanctamq. mentem inuenit, nisi Christiani animi firmam uirtutem reperit, nisi adsit illa numquam satis laudata Catholicae fidei fortitudo, suauissimaq. futurae perpetuae beatitudinis consolatio. In his semper, in omni periculo, in quacumq. perturbatione motus pariter, ac temeritas esset, ut non modo aduersos fortunae crudelissimos impetus ferre, uerum etiam, quemadmodum optimi est Christiani uiri, fortiter frangere minime ualerent. Vtra profecto Te fortuna, Religiosissime, atq. Optime Princeps, magis illustrem, magis admirabilem, magis summa laude dignum probauerit, difficillima est deliberatio. Tu enim, nobilissimo genere natus, in
maximis